



B. 209.



ACCORDANTE EDITIONE DE SILLI LUCANI
RITHMETICAE OBSERVATIONVM MAXIME
CUM CARVM AD EVM SPECIMEN

DISSECTIO PHRASEOLOGICA


CHRISTIANO FRIDERICO
MATTHAEI

DIE XI JUNII A. R. N. cloiseclyvii

ANNO FRIDERICI OCTAVI

MDCCCLXXVII





42

DE
PHILOGIA PHILOSOPHO NECESSARIA
PARTICVLA II.

E X H I B I T A

A T Q V E

AMPLISSIMO ET SAPIENTISSIMO
ZITTAVIENSIVM SENATVI

IN PIETATIS ET GRATI ANIMI MEMORIAM

M I S S A

A B

AVGVSTO FRIDERICO GVILIELMO RVDOLPH

PHILOS. DOCT. LL. AA. M. FAC. PHILOS. ADIVNCT. ORD. ACADEMIAE BIBLIOTHEC.

H. T. ORDINIS PHILOSOPH. DECANO ET GYMNASII ZITTAVIENSIS

DIRECTORE DESIGN.

VITEBERGAE,
LITERIS TZSCHIEDRICHII

DE
PHILOGIA RHODORUM NECESSARIA

PRIMUM

EXHIBIT

ATQUE

AMPLISSIMO ET SARPENTISSIMO

EXPOSITO

IN PLEBIS ET GRATI KENN MEMOR

MISSA

AN

AVGUSTO FRIDRICO WILHELMO RYDOLPHI

IMPRESORIS ET EDITORIS

IN OFFICINA

REGIAE

WITTENBERGAE
IN OFFICINA



V I R I

MAGNIFICI, IVRE CONSVLTISSIMI,
 EXCELLENTISSIMI, AMPLISSIMI, DOCTISSIMI,
 FAVTORES SYMMA PIETATE COLENDI!

Si vel nunquam vsu mihi euenisset, quod saepe sum expertus, vt Ciceronis eloquentiam desiderarem: nunc profecto fieri non posset, quin eius desiderio vehementer motum me sentiam. Nam, quum ille Quiritibus, posteaquam eum pro beneficiis maximis maxima afficere iniuria desissent, pro reditu suo gratias copiose ornateque egit: erubescendum mihi sane esset, nisi VOBIS, tanti beneficii in me de VOBIS non bene meritum collati auctoribus, pro aditu gratias, si possem, digne agerem referreque studerem. Quamuis autem nullus dubito, quemcunque Gymnasii VESTRI Directorem elegeritis, quin, tanto fauoris VESTRI, honorificentissimique iudicii documento permotus, VOBIS grato animo semper futurus fuisset obstrictus: haud scio tamen, an nemo me gratissimi animi sensu potue-

1214
rit superare. Quodsi dicerem, id, quod mihi tribu-
istis, semper fore in mente mea memoriaque repositum,
dicerem profecto, quod in aliis beneficiis magnis
magnum est, gratique animi indicium; in eo vero,
quod VOBIS debeo, minimum est, quod dici potest.
Est enim tantum, vt, quum eius memoria quotidie
renouetur, ne ingratisimo quidem, nisi cum ipsa
reminiscendi facultate possit excidere. Quid igitur?
Permultos confiteor doctrina mihi praestare, multos
vsu scholastico, multos aliis siue ingenii siue
exercitationis virtutibus, nec id, si honesta aemulatio,
studiumque, ea quae mihi desunt assequendi, excipiat,
aegro animo fero: Sed si quem pietate erga Vos,
si quem reuerentia, si quem studio VOBIS placendi
me praestantior cognouero, non amplius erit, cur
haec vita mihi videatur expetenda, quam totam
VOBIS pia mente dicaui

V I R I,

OMNI PIETATIS CVLTV PROSEQVENDI

SPLENDIDORVM NOMINVM VESTRORVM

Vitebergae,

additissimus cultor

d. V. Augusti 1610ccxcviii.

Aug. Frid. Guil. Rudolph.

Singulari Summi Numinis prouidentia laetissima mihi contigit occasio materiam nuper coeptam continuandi, quocirca eam tractationem, quam in superiori tractatione pag. 17. promisi alio tempore siue Latine siue Theodisce exhibiturus, eam dissertationis partem, quam nuper omittere cogebam, nunc proponam.

Quum autem in fine particulae primae quantum ab *etymologia* Philosophorum decreta pendeant, docere conatus sum, restat ut doceam, pro diuersitate *usus loquendi* in linguis diuersis diuersas euadere philosophorum quaestiones; quam sententiam hic quidem *historice* illustrabo et confirmabo. Et primo quidem est quoddam philosophandi genus, quod copiosam quidem sed minime laetam produxit diuersissimarum disputationum segetem. Factum enim est saepissime, ut voculae, duabus aut etiam pluribus praeditae significationibus rhetorice propriis, ¹⁾ ita acciperentur, ac si genus significarent earum rerum, quae his oculis nominantur; ac si variae res vocabulo quodam significatae species seu formae essent eius rei, quae vocabulo isto omnino indicari videtur, sed prorsus nulla est; seu, ut Aristotelicis terminis utar, factum est, ut Homonyma haberentur pro Synonymis. ²⁾

1) Significationem *rhetorice* propriam eam voco, quae cum vocabulo seu termino immediate copulari solet, et audita vel lecta vocula statim in mentem venit, alia cogitatione non intercedente; *historice* propriam vero, cuius causa vocabulum inuentum est, quae *historice* prima vocari potest. Usus huius distinctionis in Hermeneutica et praecipuis de troporum explicatione magnum esse cognoui; sc. ad interpretem rhetorica proprietates pertinet, a qua sine causa non

recedat; *historica* vero ad eum, qui linguam docte addiscit; ista varia est et pro temporis et auctorum diuersitate mutabilis, haec certa et immutabilis. Multa quae *historice* tropica sunt, *rhetorice* sunt propria etc. sed de his alio loco et tempore curatius et planius.

2) Nos *plura* vocabula eandem rem significantia vocamus Synonyma. ARISTOTELES vero *diuersas* res, *uno* vocabulo nominatas, Synonymorum vocabulo indicauit, et Synonyma qui-

Haec, quoad res indicatae sensibus subiectae sunt, facile distinguuntur, nam, ut facile apparet, nomen *equus*, quando non solum de equo uiuo, sed etiam de picto adhibetur, homonymice dici, ita quisque facile videt, bouem et equum, vno animalis nomine vocatos, ad synonyma pertinere. In rebus vero a sensuum contemplatione remotis, et sola mentis acie considerandis, haec miscentur facillime; quare fit, ut res satis diuersae pro formis eiusdem generis habeantur, et generalis inuestigetur vocabuli significatio, tanquam generis cuiusdam notio esset inuenienda, atque explicanda. Quo in genere Platonis soletia a vera via aberrasse mihi videtur. Hanc illusionem tum sentimus maxime, quando in alia lingua reddere philosophemata nostra conamur; quemadmodum enim somnia disparere solent, quum expurgimur, ita hae nugae, quum vertimus, dissipantur. Exemplis res illustranda. Ista homonymorum et synonymorum confusio in causa est, ut quae-
 stio *πότερον τὰ ζῴα ἐστὶ λογικά*, alia sit, atque Latina: *utrum animalia sint ratione praedita*. Nam qui inter Graecos haec subtilius quae-
 rebant, solebant distinguere inter *λόγον ἐνδιάθετον*, et *προφορικόν*, (cf. SEXT. EMPIR. Hyp. I. §. 65. ibique FABRICII not. k. pag. 18.) Latini vero et Germani, distinctis vtentes et vsu voculis *orationis* et *rationis*, istius distinctionis desiderio non mouentur, quae ne Graecis quidem id, quod sperabant, praeslitit. Graecus enim philosophus, si hunc *λόγον* non homonymice sed synonymice dictum acciperet, atque *λόγον* omnino tanquam genus sumeret, qui sit vel *ἐνδιάθετος* vel *προφορικὸς*, notionem formabat ancipitem, nec facile comprehendendam, *μᾶλα Πλατωνικῶς*, qua Latinus homo plane carebat; notionem dico, in qua comprehendendum erat id, quod duplici huic *λόγω* sit commune, atque efficiat, ut et ratio et oratio *λόγου* nomine possit vocari. Quare, si vel maxime Graecus homo animalibus *λόγον* omnino tribueret, Latinus rationem omnino denegaret, egregie tamen poterant in re ipsa consentire. Quodsi enim Graecus brutis *λόγον προφορικόν* propterea concederet, quia brutorum voces ab aliis brutis

dem vocauit, quibus praeter nomen monyma vero, quorum idem est nomen, alia tamen definitio nominis.

intelligi animaduërteret; fieri non poterat, quin, posita forma, genus etiam poneret; quemadmodum enim, qui auaritia laborat, vitio laborare recte dicitur, ita λόγος recte tribuitur iis, quibus λόγος προφορμὸς est tribuendus. — Hic Graeci diuerfas res vno nomine comprehendunt, quas Latini et Germani distinctis voculis significant; est etiam, vbi Graeci vocabulis segregant, quae Latinis et nobis, propter sermonis vsum, comprehendenda videntur. Disputatio enim Graecorum περὶ τόπου καὶ κενῶν plane diuerfa est a Latinorum et Germanorum eiusdem rei quaestione; hi enim *de spatio* (vom Raume) solent disputare. Graeci nimirum non habent, quo vno nomine vtrumque, Locum et Vacuum, comprehendant, sed habent tertiam vocem, διάστημα, quam nos *Dimension* reddimus, non omnem eius vim assecuti, et metiendi vim adicientes, atque quartam, χωρῶν, capacitatis cogitationem afferentem. Nostri philosophi vero *spatium vacuum* atque *repletum* distinguentes, loquuntur etiam de *spatio omnino*, (vom bloßen Raume,) de eo, quod vacuo spatio et repleto sit commune. (vid. REINHOLDVS, Vir Excellent. *Theorie des menschl. Vorstellungsverm.* pag. 389 seqq.) Definitio igitur nostra spatii ita debet esse comparata, vt in repletum non minus cadat, quam in vacuum; (nisi forte *merum* illud spatium omnino nihil significat, atque intuitionis obscuro vocabulo nos ipsi fallimus.) quumque spatium repletum, tanquam formam seu speciem, esse affirmamus, simul statuimus, spatium esse omnino; quae plane aliter se habent apud Graecos. Hi enim *vacuum* suum ita *debebant* definire, vt in *repletum* definitio non caderet, id quod Stoicorum exemplo illustrare possumus, qui Vacuum ita definiuerunt, vt spatio repleto definitio non esset accommodata; atque a TIEDEMANNO, Viro Illustri, hoc nomine reprehenduntur, (*Geist der spec. Philos.* T. II. p. 438.), nisi fallor, non reprehendendi; nam κενὸν πεπληρωμένον aperta est contradictio in adiecto, nisi pro temporis diuersitate idem locus vacuum dicatur et repletus, quod plane aliud est, et huc non pertinet. Deinde Graeci τόπον poterant, cum ARISTOTELE, admittere, et quid sit docere, vacuum vero prorsus negare; nos contra ea non videmur, sine inconstantia, posse admittere *den Ort* et negare *den Raum*. Ad-

ficere hic possem, unde fortasse appareret, Graecos hac in re commodius esse versatos et melius, quam nostros philosophos; sed nec aliena a causâ mea admiscere, nec contra philosophos disputare volui. Ad alia potius propero. Quod Graeci *δύναμιν* vocant, nos non possumus vna vocula reddere, Latini quodammodo, non tamen fatis; *vis* enim, quamvis ab altera parte latius pateat, et *βίαν* etiam denotet, ab altera vero angustius sit, et significatum in formula *δυνάμει ὄν* non assequatur: tamen magis respondet graecae voculae, quam nostrum *Kraft*, denotat enim praeter hoc etiam, *quid quaeque res sit; naturam rei vel essentiam*. Si quis Graece diceret: *Ὅτι μὲν οὖν Φευκτέον ἐστὶ τὸ κακὸν, ἐκ τῆς αὐτοῦ δυνάμεως δῆλον*. Latine ad verbum posset verti: *Malum autem esse fugiendum ex ipsa eius vi apparet; nos non possumus: Die Kraft des Uebels lehrt hinlänglich, dass es zu fliehen sey*. Graece enim intelligitur *τοῦτο, ὃ δύναται ἢ Φωνὴ τοῦ κακοῦ*, voculae significatio, ipsa notio; atque nos dicimus: *et folgt aus dem Begriffe*. Ita vis oratoris passim apud CICERONEM de Oratore. Si quis autem Graecorum definitione quadam id explicare conatus esset, quod duobus his et reliquis *δυνάμεως* significatibus commune sit, et *δύναμιν* in genere exprimat: proposuisset sane, quae nec graece dicta intelligi, nec nostra lingua reddi possent, quemadmodum nunc multa a philosophis proferantur, quae nec theotisce dicta intelligi, nec Graece aut Latine dici possunt. — Nulla fere quaestio magis vexavit philosophos, quam ea, quae de *libertate voluntatis* (vt nos loquimur) instituitur; quae adeo afflixit philosophos, vt theotetica, quae vocatur, ratio, quasi desperans, practicae rem traderit, vt, quod ratione intelligi et probari non possit, id tamen ratione credatur. Et sane difficilis est quaestio, quum non statim appareat, quo modo is, qui cogatur, et rerum nexi adstrictus sit, liber possit vocari. Graecis haec non erant tam impedita. Quae enim nos diuersa vno vocabulo *Freyheit* comprehendimus, ea fere apud Graecos sunt nominibus distincta: *τὸ ἐκείσιον, ἐλευθερία, ἐξέσιον* (cf. Plato. de Republ. VIII. p. 210.) *τὸ αὐτεξέσιον*. Vide Origenem (*περὶ Ἀρχῶν* Libro III. c. 1.) et apud Eusebium (Dem. Evang. L. I. c. 9. p. 32. C. edit. Colon.) *αὐτεξέσιον παρατροπήν*. (cf. p. 155. C. et

et 159. C.) Stoicorum distinctio inter τὰ ἐφ' ἡμῶν, et τὰ ἐκ ἐφ' ἡμῶν etiam huc pertinet, id quod non solum e Stoicorum dissertationibus, sed etiam et quidem satis luculenter ex Eusebii libro contra Hieroclem cap. vlt. apparet. Ἐκὼν autem agit, qui vult. nec dicitur ἔκων θέλει, quia pleonasmus est, nec ἄκων θέλει, quia videtur contradictio in adiecto, 3) sed dicitur ἔκων πράττει libenter, volens agit, ἔκων εἶναι πείθεται libenter patitur sibi persuaderi, facile ipsi persuadetur. Voluntatis (βελήσεως) nimirum vis et natura in eo est posita, vt ἐκόντες appetamus, quod bonum nobis videtur, vt ἄκοντες patiamur, quod videtur malum. Hoc est illud PLATONIS: εἰδὲς ἔκων πονηρός, quod nunc male redditur: Niemand ist mit Freyheit böse, quum vertendum sit: Niemand ist mit Willen böse. Sed ἄκων aliquis ab hominibus vi trahitur et deportatur; nauta a vento in aliquam regionem ἄκων deferret; si quis autem metu malorum imminuentium et minarum agit aliquid, quod alioquin non fuisset acturus, videri potest βία egisse, magis tamen ad τὸ ἐκείσιον actio referenda, et ἔκων egisse putandus est. (cf. Aristot. Nicom. L. III. c. 1 sqq.) Atque omnino quaestio poterat esse apud Graecos de singulis actionibus, vtrum ad τὸ ἐκείσιον, an ad τὸ ἀκείσιον essent referendae; id quod ARISTOTELIS disputatione et exemplis discimus; sed vt Graecus homo τὸ ἐκείσιον ipsum omnino et serio tolleret, arbitror, fieri non potuisse; neque enim libertatem voluntatis, sed ipsam voluntatis vim sustulisset. Hoc autem ἐκείσιον, quod ad virtutis cultum, ad legislatorum humanitatem, et ad iuris interpretum religionem pertinet, habet quidem aliquam quaestionis difficultatem, a PLATONE iam motam; sed quae contra voluntatis libertatem afferuntur, a nexu rerum necessario repetita, ea τὸ ἐκείσιον non videntur attingere et impedire. Si enim vel maxime omnes hominum actiones tam certae essent, ac tam necessariae, vt nullum capiatur consilium, quod naturae necessitas non afferat: tamen capi-

3) Non me fugit locus Homeri Iliad. IV. vl. 43. Καὶ γὰρ ἐγὼ σοὶ δῶκα ἔκων ἀέκοντι γε θυμῷ. Sed haec ad rem praeletem non pertinent, satis-

que in Scholiis minoribus sunt explicata, vt Tryphonis distinctione, pleonasmus inducente, δῶκ' ἀέκων, ἀέκοντι γε θυμῷ, opus non fit.

tur consilium, ita ut voluntas, etsi non iubeat, et praecedat, et sine ratione et causa imperet, *hoc volo, sic iubeo*: tamen siue temere siue sapienter sequatur; τὸ ἐκείσσιον enim et τὸ *velle* non postulat, ut unoquoque voluntatis actu noua et ea fortuita causarum series oriatur, sufficere potius videtur, ut causarum seriem voluntate et assensu prosequamur. Quaestio autem, utrum ἐλεύθερος sit homo, prorsus alia est, multisque constat partibus. Vtrum alius hominis imperio non sit subiectus? Vtrum voluntas non teneatur nec parere debeat praecipis sanae rationis? Vtrum appetitus hominem non cogant et ita afficiant, ut licet meliora videat, probetque, tamen vitiosa imbecillitate deteriora sequatur? Vtrum leges ciuitatis et virium modulus eum non coercent, ut *ἄκων* agat non agenda, et agenda omittat? Haec et alia ad ἐλευθερίαν, partim etiam ad ἐξουσίαν referenda erant, quumque Graeci uoculis uterentur distinctis, non habebant quaestionem tam impeditam et periculosam. Apud nos vero, qui aliquam libertatis speciem, velut eam, quae vocatur *liberté de caprice*, sustulit, genus sustulisse, atque uirtuti bellum indixisse uideri potest. 4) Comprehendit enim libertatis uocabulum res satis diuersas, una notione non comprehendendas. Nemo mihi obiiciat, variis libertatis formis, physicae, politicae, moralis, et eius quidem duplicis (comprehendit enim τὸ ἐκείσσιον, quod nobis *tributum* est, et eam rationis et animi firmitatem et constantiam, *pia exercitatione*, atque diuino auxilio nobis parandam, qua appetitus coercentur,) hoc tamen commune esse, quod sint libertates, ut ita dicam. Hunc enim tam proutum et expeditum philosophum monerem, lupum, terrestre animal, lupum piscem, lupum, instrumentum aduncum, quo e puteis, quae inciderunt, extrahuntur; lupum herbas genus, lupum freni asperrimi genus, lupum denique aranei genus, licet sint longe diuersissima, hoc tamen omnibus lupis esse commune, quod lupi sint, et quid lupus omnino sit, iam quaeren-

4) Stoici, uirtutem tam rigidam commendantes, et sapientem adeo ἐλεύθερον esse affirmantes, non dubitarunt seriem connexam causarum et fatum statuere. cf. ZENONIS illud

apud DIOG. LAERT. VII, 23: „ZENON seruum in furto deprehensum uerberabat; quumque ille diceret: fatale mihi erat furari; et caedi, inquit.“

dum esse; quodsi respondisset fortasse, communem esse omnibus acuti et acris cogitationem, et lupum omnino esse rem acutam et acrem: haud scio equidem, an recte responderit, sed quocumque demum modo se habeat generalis significatio, fortasse a nemine eorum, qui Latine Lupum dixerunt, animo concepta, non acumen admirarer, dolerem potius inutilem, ut mihi videtur, solertiam; certe eius methodum magis etiam improbarem, quam PLATONIS de pulchro quaerentis. Quamvis enim Graeca vox *καλόν* non latius patere videtur, quam nostrum *schön*, quod *vulgo* dicitur; aliter tamen in Hippiā maiore quaestio τοῦ καλοῦ instituta est a PLATONE, quam a nobis solet institui. Quum enim pulchrum quod est in formis et corporibus, honestum, vile, iucundum, splendidum, atque omnino omnia, quae probabilia sunt et probata, *καλά* vocarentur: PLATO, Socratica definitionum methodo, nondum satis explicata, seductus, ea omnia tanquam formas τοῦ καλοῦ considerans, quid *καλόν* omnino et in genere sit, quaerere non dubitavit. Nostri philosophi sine dubio melius sermonis consuetudinem hac in re nec prorsus relinquunt, nec plane sequuntur, sed eam regunt; nam non sumunt *καλόν* tanquam genus quoddam, cui reliqua, quae pulchra vulgo vocantur, tanquam formae seu species, subiecta sint; sed vagum hunc usum temperantes, de ea specie quaerunt, quae est in formis et corporibus, et omnibus omnino artis operibus, ita ut is, qui honestum neget pulchrum esse, sed honesto id statuat postponendum, recte statuisse putetur; quare nos explicare posse videmur, quid sit id, quod pulchrum vocamus, et quale sit; PLATO, quid et quale sit, non potuit dicere, sed ad huius *ideae* investigationem alios est cohortatus, quinque generalem ambiguae voculae significatum, quem nemo facile assequetur, nondum esset assecutus: se atque alios in *rei cuiusdam* ignoratione versari putavit. Platonem tamen nunc imitari multi videntur, qui de multis rebus, ad Philosophiam pertinentibus, ita loquuntur, ac si res ipsas, longissimo intervallo interiecto remotas, non possent satis conspicerere; qui animi aciem intendunt, ad rei cuiusdam contemplationem, quas nec vlla est, nec ab vilo vnquam est cogitata. Inde voces et querelae, nondum nos scire, quid sit philosophia, neminem adhuc hoc esse

affectu; aliquando nos philosophiam habituros; fortasse nunquam habituros; quae quidem voces non exaudirentur, si intelligerent omnes, se non rem aliquam inuestigare, sed vocabuli vagi et multiplicis *significatum* generalem sectari; si intelligerent, quamvis de philosophiae summa disputare videantur, philologica tamen quaestione, et ea quidem male instituta, se detineri; si sequi vellent eam ARISTOTELIS methodum, de qua supra dixi; quae a me hic rursus memoratur, quia ex Aristotelicis istis significationum expositionibus magis etiam apparet, quod studui efficere, philosophiam pro linguarum diuersitate esse diuersam. Videatur libellus ARISTOTELIS *περὶ τῶν πολλαχῶς λεγόμενων*, seu *Metaph. Lib. V.* in quo, etsi videri possit non omnem vitiositatem euitasse, tamen egregie sibi temperans, multum philosophiae adiumentum attulit; velut exposuit (c. 1.) quam varie dicitur *ἀρχή*, quo voculae vsu exposito, addit: *πασῶν μὲν ἔν κοινὸν τῶν ἀρχῶν τὸ πρῶτον εἶναι, ὅθεν ἢ ἔστιν, ἢ γίγνεται ἢ γινώσκειται*. Maluit hic in definitione diuisionem tolerare, quam monstrum voculae, qua *ἔστι*, *γίγνεται* et *γινώσκειται* comprehenderetur, excogitare. — *Ἐν* apud Graecos latius dicitur, quam apud nos; (vid. c. 6.) nam denotat etiam id, quod nos vocamus *emerley*. Bene haec Aristoteles distinxit, voculae vsu non turbauit. (cf. *TIEDEM.* I. l. T. II. p. 239.) — Graeca *ὀντολογία* a nostra valde diuersa est, non quod aliam apud Graecos fuisse putem rerum naturam; sed quod propter linguae consuetudinem alia erat notio, ad rerum naturam pertinentium, conformatio. Vocula enim *ὄν* pluribus est apta constructionibus, quam similis significationis voces Latinorum et Germanorum. Potest *substantiue* dici, et *adiectiue*, *participii* habet formam, a quo *ὄντως aduerbialiter* dicitur; atque ipsum ab *infinitiuo εἶναι* ducitur. Quae omnia, ut nostra lingua reddantur, ad alias voculas confugiendum nobis est, velut dicendum: *ens, Ding, seyn, Wesen, wirklich*, quae, partim propter originem, partim propter sermonis nostri consuetudinem, alias notiones immiscent, et ad exponenda Graecorum philosophemata parum idonea deprehenduntur; id quod sua quemque experientia docebit, qui XENOPHANTIS, PARMENIDIS, MELISSI aliorumque antiquorum decreta non Kantiano quodam et eo quidem alieno habitu induere, atque ita risui exponere

re, sed legitima ratione exhibere conetur. Apud nos similis vox *Beauvst-
seyn* miras etiam turbas excitat, et Proteo similis attentionem nostram
fatigat. Vocabulum enim multis constructionibus aptum, nocentem
non impedit, quumque ad vsum facile et sequax sit, non facile appa-
ret, quanta rerum diuersitas vno nomine comprehendatur, et quam
difficilis sit, quam anceps et ambigua notio subiecta. Quod igitur ad
Graecorum ontologiam attinet: *ὄν*, secundum Aristotelem, (l. l. c. 7.)
λέγεται τὸ μὲν κατὰ συμβεβηκός, τὸ δὲ κατ' αὐτό. Interpres
non haesitans: *Eus dicitur aliud secundum accidens, aliud per se*. Sed
hoc nemo potest intelligere, qui sequentia consideret; pergit enim
ARISTOTELES: *κατὰ συμβεβηκός μὲν, οἶον τὸν δίκαιον μουσικὸν
εἶναι φάμεν, καὶ τὸν ἀνδρωπὸν μουσικὸν, καὶ τὸ μουσικὸν ἀνδρω-
πὸν παραπλησίως λέγοντες, ὥσπερ τὸν μουσικὸν οἰκοδομεῖν,
ὅτι συμβέβηκε τῷ οἰκοδόμῳ μουσικῶ εἶναι, ἢ τῷ μουσικῶ οἰκο-
δόμῳ*. Secundum Aristotelem igitur *ὄν κατὰ συμβεβηκός* habetur
in formula: homo est musicus; quia nimirum ad hominis naturam
et essentiam non pertinet, vt sit musicus; quia hoc homini accedit,
et quibusdam hominibus adiunctum est. Quid igitur? estne musicus
eus per accidens, secundum ARISTOTELEM? Nusquam hoc reperi; τὸ
εἶναι musicum, *accidens* dicitur significare, si ad hominem referatur;
sed *eus per accidens* non dicitur, nec dici potest, nisi forte inepta ra-
tione. *Id*, quod per se, aut per accidens dicitur, ad relationem per-
tinet; apud ARISTOTELEM vero *ὄν κατὰ συμβ*. non habet relati-
uam significationem. ARISTOTELES enim noluit tradere, quot et quam
varia sint rerum, (entium, substantiue sumtorum) genera, sed expli-
cavit varias significationes vocularum *εἶναι*, *εἶσι*, *ὄν* etc. statuit ARI-
STOTELES, vocabulum *εἶναι* et *ὄν*, in formula allata, nihil aliud signi-
ficare, quam *συμβεβηκέναι* et *συμβεβηκός*, quemadmodum eadem
vocabula, alio nexu adhibita, quantum, quale, vbi, habere etc. deno-
tare possunt et denotant; quando dicatur, *ἀνδρωπός ἐστι μουσικός*,
id idem significare, ac si dicatur *τῷ ἀνδρώπῳ συμβέβηκεν εἶναι
μουσικῶ*, et quum dicamus: *ἀνδρωπὸς αὐτός, μουσικὸς ὄν, εὐδοκι-
μεῖ*, nihil aliud dici, quam: *οὗτος ὁ ἀνδρωπὸς, ὃ συμβέβηκεν
εἶναι μουσικῶ, εὐδοκιμεῖ*. Breui praecidam. Quando dicimus *eus*

per accidens, ita loquimur, ac si indicaretur, ad quodnam entium genus *praedicatum* enunciationis esset referendum; Aristotelica distinctio vero non ad *praedicatum* pertinet, sed ad copulam, ad *ἐστὶ*, sub alia vocabuli forma (sc. participialiter) conceptam. Liceat nonnulla addere exempla, quo magis mea sententia, immo vero Aristotelica, eluceat. In formula: τὸ μισκὸν ἐστὶ ἀνθρώπος, ἐστὶ denotat *συμβέβηκε*, et ἀνθρώπος denotat *συμβεβηκός τι*. atque τὸ ὄν, εἶναι, ἐστὶ dicitur κατὰ *συμβεβηκός*, quia τὸ μισκὸν non necessario est homo; ἀνθρώπος tamen in hac formula non est ὄν κατὰ *συμβέβηκος*, quia inepte diceretur ἐστὶ ὄν. Contra ea in enunciatione: ἀνθρώπος ἐστὶ ζῶον λογικόν, nihil reperitur, ὃ *συμβέβηκε*, sed τὸ εἶναι λέγεται κατ' αὐτό. Incredibilia haec et absurda videbuntur omnibus, qui non eam sunt adepti graecae linguae facultatem, ut Graece possint philosophari; sed philologis, Graecae linguae fautoribus, et a philosophia non abhorrentibus, si integrum ARISTOTELIS locum velint relegere, omnia plana futura esse confido. — Vnicum addam. KANTIVS, eiusque sectatorum plurimi, categoriam *causae* deriuant ac repetunt ab ea mentis conformatione, quae in formandis enunciationibus hypotheticis est conspicua. Num reprehendendus esset is, qui Stoicos secutus, inter hypothetica iudicia discrimen statuat. Isti enim *συννημμένον* et *παρασυννημμένον* distinxerunt ab eo, quod *ἀπὸ τῶν ἀδελφῶν* vocarunt, et *causae* habet declarationem, (vid. DIOG. LAERT. VII. 71 sq.) quae quidem omnia apud nos hypotheticorum iudiciorum nomine comprehenduntur.

Philosophemata autem ab usu loquendi pendere, vel in vna lingua subsistentes, possumus intelligere, dummodo rationem in definitionibus infirmendis visitatam paullo accuratius consideremus. Definitionem latiore esse definito ita efficitur, ut doceamus, eam cadere in plures res, quam quae *nomine definiendo vocentur*; probamus angustiore esse, afferendo eas res, quae *nomine quidem insigniantur*, sed definitione non comprehendantur. Quis tandem negabit, hic ad sermonis usum respici? Quae sunt philosophia? Quid tandem sequuntur? *Ponunt*, philosophicam cognitionem distinguendam esse a vulgari, ab historica, a mathematica, id quod facile conceditur,

quã vsus loquendi *hodiernus* hanc distinctionem affert atque commendat. Erit fortasse, qui ex me quaerat: nullamne hic videam in rebus differentiam? atque nil, nisi verborum diuersitatem? Minime volui, verborum esse solum discrepantiam, sed, *vt res ita distinguamus*, vsu sermonis esse effectum; neque enim *rerum diuersitas* sola efficit, vt tali modo distinguiamus. Quin hac in re non notio rei accommodatur, sed res secundum ideam constituitur, et posito isto inter vocabula discrimine, rei definitio ita instituitur, *vt res aequae ac verba ista inter se discrepent*. Possunt etiam variae res, modo consentiant, et communi vinculo cohaereant, vna cogitatione comprehendi. Et vero etiam philosophicae cognitioni, quae nunc dicitur, cum mathematica et historica, est sane aliquid commune; quare hoc ipsum, si vsus non obstaret, philosophicum posset vocari, ita, vt historica et mathematica, non tanquam coordinatae, sed tanquam subordinatae formae a philosophica cognitione possint distingui. Quid, si quis ita disputet: „Si philosophus is est, qui sapientiam amat, non video, cur mathesis et historia non possint ad philosophiam referri. Immo arbitror, in his disciplinis plus inesse exercitationis et consilii ad mentis emendationem, ad rectam argumentandi rationem, et ad vitam bene sapienterque instituendam, quam in multis controuersis, a philosophis nunc agitis, de formis, de transcendentalibus et transcendentibus, de categoriarum deductionibus, aliisque, quae sunt generis eiusdem.“ Nimirum ab *etymologia* profectus, contra *hodiernum sermonis usum* disputaret, quem ego quidem, haec tantum illustrationis causa afferens, turbare nolui. Sed philosophia ab vsu loquendi non pendet solum, sed etiam pendere debet. Docebo hoc verbis ARISTOTELIS, qui auctoritate diuissime viguit, atque post hominum memoriam de philosophia optime mihi videtur esse meritis, pro confusione ordinem, pro tenebris lucem, pro temeritate rationem in eam inducendo. Hic autem, ne sophisticis artibus philosophicae quaestiones turbentur, in definitionibus sermonis vsum sequendum praecepit. Top. II. c. 2. p. 277. C. ταῖς μὲν ὀνομασίαις τὰ πράγματα προσαγορευτέον, καθάπερ οἱ πολλοὶ ποῖα δὲ τῶν πραγμάτων ἐστὶ ταῦτα, ἢ οὐ ταῦτα, ἐκείτη προσεκτέον τοῖς πολλοῖς· οἷον ὑγιεινὸν μὲν ἤντιον, τὸ ποιητικὸν ὑγιείας, ὡς οἱ πολλοὶ λέγουσι, πότερον δὲ τὸ προκειμένον ποιητι-

κόν ὑγείας, ἢ οὐ, ἐπέτι ὡς οἱ πολλοὶ λεπτέον, ἀλλ' ὡς ὁ ἰατρός.
 Idem in enunciatis, ad quaestionem propositis, duplicem posuit ἀμαρ-
 τIAN, (Topic. II. c. 1. fin.) ἢ τῶ ψεύδεσθαι, ἢ τῶ παραβαίνειν
 τὴν κειμένην λέξιν, οἱ τε γὰρ ψευδόμενοι καὶ τὸ μὴ ὑπάρχον
 ὑπάρχειν τιμὴν λέγοντες, ἀμαρτάνουσι· καὶ οἱ τοῖς ἀλλοτρίοις ὀνό-
 μασι τὰ πράγματα προσαγορεύοντες, οἷον τὴν πλάτανον ἀνδρω-
 πον, παραβαίνουσι τὴν κειμένην ὀνομασίαν. et (Topicor. VI. c. 6.
 p. 364.) τῇ μὲν ὀνομασίᾳ δεῖ χρῆσθαι τῇ παραδεδομένη, καὶ πα-
 ρεπομένη, καὶ μὴ κινεῖν τὰ τοιαῦτα, ἐνια δ' οὐ λεπτέον ὁμοίως
 τοῖς πολλοῖς. Quum igitur philosophia ab vsu loquendi pendeat, et
 pendere debeat, quis negabit, pro vsus loquendi diuersitate philoso-
 phiam fieri diuersam?

Qui igitur veram mentis suae illustrationem amant, cui consu-
 limus, si dilucide intelligere omnia, quae tanquam philosophi dici-
 mus, studeamus, et vt earum rationem videre et explicare possimus,
 elaboremus: iis ego auctor sim, vt praesertim linguas, et eas qui-
 dem varias, diligenter addiscant, ad diuersitatem, quae in conforma-
 tione notionum ita fit conspicua, attendant, atque tali modo eam sibi
 parent mentis facilitatem, qua in aliorum mentem sese facile possint
 insinuare; quam facultatem, qui fuerit adeptus, verendum non est,
 ne eorum gregi se adiungat, qui, secundum illud Socratis, τοῖς μαι-
 νομένοις ὁμοίως διάκεινται πρὸς ἀλλήλους, hoc enim iis tantum
 videtur accidere, quorum mens quasi tam rigida est, vt non nisi sua
 comprehendant: quemadmodum enim puer rusticus, vicum suum nun-
 quam egressus, domorum structuram et ordines, viarum anfractus,
 templi structuram, turris formam, aliaque eiusmodi necessaria putat,
 superque, quum aliquando alibi conspicit aliter comparata: ita, in
 vna lingua haerens, et vsus sui vinculis constrictus, intellectualis re-
 gionis descriptionem, (notionum coniunctionem atque distinctionem
 dico) in sua lingua vsitatam, necessariam esse putat, et vnice proban-
 dam. Ex quo mentis vitio controuersiae oriuntur non tam ridiculae,
 quam dolendae. Atque hac in re grauis est ratio, cur linguarum di-
 uersarum studium, non solum fundamentum eruditae institutionis esse,
 sed etiam, parietes scholasticos egressum, prouectiorum, atque adeo phi-
 losophorum attentionem debeat excitare.

cf 4264.8^r

ULB Halle

3

002 160 943




sb

v. 18

n. C.





40

DE
PHILOSOPHO NECESSARIA
ARTICVLA II.

H I B I T A
A T Q V E

ET SAPIENTISSIMO
NSIVM SENATVI

T GRATI ANIMI MEMORIAM

M I S S A

A B

NICO GVILIELMO RVDOLPH
PHILOS. ADIVNCT. ORD. ACADEMIAE BIBLIOTHEG.
I. DECANO ET GYMNASII ZITTAVIENSIS
RECTORE DESIGN.

TEBERGAE,
T ZSCHIEDRICH I

